

fuisse dimissum, datis comitibus à quibus reduceretur in silvas. Divus Hieronymus quoque scribit in vita Pavii Eremitæ, idem animal tempore Constantini Cæsar is captū, ac perductum Alexandriam, præbuisse magnum populo spectaculum; ac postea eius cadaver sale perfusum, ne putreficeret, missum fuisse Antiochiam Cæsari videndum. Adhæc scribit, ipsum Pavum in eremo Aegypti, conspicatum & allocutum esse talem homunculum capipedem & cornutum, atque ab ea accepisse hoc responsum: Mortalis ego sum, & unus ex incolis eremi, quos gentilitas colit vario errore delusa, Faunosque & Satyros appellat: legatione fungor gregis mei: precamur, ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus.

Notus feritate Lycaon &c.

**Lycaon in
Lupum.**

Lycaon rex Arcadiæ primus inducias belli violasse fertur, immolato Iovi obside, quem à Molossis acceperat: cùmque hac perfidia redigisset in potestatem additionem suam homines simplices, quibuscum inducias fecerat, & eostam quam oves devorasset, Poetae ad nomen alludentes, finixerunt ipsum in Lupum esse mutatum à Iove, cui humanas carnes apposuisset. Lycos enim lupum significat. Hæc igitur fabula, detestatur impietatem, perfidiam & inhospitalitatem, qua nilest immanius. Quàm arctum vero & sanctum olim fuerit vinculum hospitii, ex eo apparet, quod antiquitas Iovem vocavit hospitalem; apparet item ex historia Livii de Badio civi Campano, qui in conspectu duorum exercituum, Q. Crispino Romano hospitium solenniter renunciat, ut cum eo congregandi possit hostili more. Tanti enim siebat olim ius hospitii, ut ne ab hostibus quidem violaretur.

FÆ. VII. OCCIDIT &c.

De Diluvio, & reparatione generis humani
jactu lapidum.

Sequitur descriptio diluvii, quo extinctum est genus huma-